

**Dissertatio medica inauguralis in anginae malignae aetiologiam eique
convenientem medendi methodum inquirens ... / pro gradu doctoris in
medicina et chirurgia obtinendo publice defendet die III. martii
MDCCLXXXII Christianus Wilhelmus Dangers.**

Contributors

Dangers, Christian Wilhelm.
Universität Göttingen.

Publication/Creation

Goettingae : In Officina Barmeieriana, [1792]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/tvbwddkt>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>


DISSERTATIO MEDICA INAVGVRALIS ²
IN
ANGINAE MALIGNAE
AETIOLOGIAM
EIQUE CONVENIENTEM MEDENDI
METHODVM INQVIRENS

QVAM
ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS
CONSENSV ET AVCTORITATE
IN
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
PRO
GRADV DOCTORIS
IN
MEDICINA ET CHIRVURGIA
OBTINENDO

PVBLICE DEFENDET
DIE III. MARTII MDCCCLXXXII
**CHRISTIANVS WILHELMVS
DANGERS**

HASSO - SCHAVMBVRGBENSIS

GOETTINGAE
IN OFFICINA BARMIEIERIANA.



PATRVO PIE COLENDO

CHRISTIANO DANGERS

HASCE STVDIORVM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLVIT

A V C T O R.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30794304>

PROOEMIUM.

Angina maligna mihi ob insignem stragem qua, vbicumque caput extulit, saeuit; ob obscuri et inexplicabilis quid in eius decursu iam primo intuitu conspicuum; ob summam denique tot tantique nominis virorum attentionem qua semper digna visa est; iam dudum prae multis aliis morbis notabilis fuit. Lubentissime itaque consilium praeceptoris de me meritissimi mihiq; ad cineres vsque summa pietate colendi, STROMEIERI, secutus, eam, vt ritibus academicis satisfaciam, nunc tractandam elegi.

Noueritne HIPPOCRATES, noueritne ASCLEPIADES morbum, an non? Viderintne ARETAEVS atque

AETIVS *anginam malignam, an, vt aliis videtur, aphthas aut scorbutum?* aliorum diiudicationi praeripere nec volui; nam quid in me est, qualecunque sit, vtile malui esse quam doctrina utilis vt solet experte se iactare: nec potui; nam veterum scriptorum inopia temporisque angustia arctam valde mihi prouinciam crediderunt.

Tiro scripsi. Tironem iudicet lector, qui non, veterani instar, propria experientia, sed aliorum tantum observatis, probabilique analogia suffulta proferre potuerit.

Haec volui praemonere.

DISSERTATIO

DE

ANGINA MALIGNA

Vt ceteri alia certa alia incerta esse dicunt,
sic ego ab his dissentiens alia probabilia, con-
tra alia dico. Quid est igitur, quod me im-
pediat, ea quae mihi probabilia videantur, se-
qui; quae contra, improbâre: atque affirmandi
arrogantiam vitantem, fugere temeritatem quae
a sapientia diffidet plurimum?

CICERO *de offic. lib. II. cap. 2.*

§. I.

Morbus quid sit?

Secundum omnium obseruatorum theoriam et auctorum systematicorum definitionem *Angina maligna* est: affectus faucium inflammatorius, ulcerosus, gangraenosus, contagio propagandus; cum febre putrida, quam plerumque superuenit eruptio cutanea scarlatinosa, mere symptomatica, etsi nonnullis aliquot symptomata, quibus primus morbi insultus stipari solet, subleuare visa sit.

§. II.

Morbi decursus.

Non omnes eodem modo afficit. Sunt quos de instante periculo, dubiis quidem, praenuntiis generose praemonet inimicus: sunt quibus perfide inopinatas insidias parat. Sunt quos armis facile propellendis

laceffit: sunt quos vinci nesciis debellat. Sunt denique quos primo congressu propria necat manu: sunt quos per longam malorum seriem vana cum spe deductos fera atque aliena mulctat morte. Longum foret, nec consilio congruum, omnes hic istos varios recensere modos, quibus non solum pro vario variarum epidemiarum genio, sed in eadem etiam epidemia pro eorum, quos afficit, aetatis, sexus, corporis constitutionis etc. varietate, ludere visus est: petant, quorum interest, ex numerosis sane, qui de nostro morbo egerunt, observatoribus. Mihi, qui in eo delineando ea tantum respicere constitui, vnde eius aetiologia indicationesque curatiuae illucescere possunt, neminem vitio versurum esse pro certo habeo, se symptomata aduentitia leuesque varietates, a meo proposito alienas, omissas reperierit.

§. III.

Febris quae ipsum anginofum affectum anteire aut saltem cum eo contingere solet, varia intensione instat, versus noctem vehementer

menter exacerbatur, mane praegresso breui et inquieto somno vel alleuante sudore paululum remittit: cutis calet: pulsus vel rarus vel frequens, vel durus vel mollis, semper debilis et tremulus est: vrgent animi incon-
sueti abiectio, virium exhaustio summa, angor et inquietudo: dolet caput et dorsum, dolent crura: facies tumet: rubent et lacrymant oculi: opprimuntur pectus et praecordia, vnde respiratio difficilis, saepe suspiriosa: lingua humida, in apice plerumque pura, versus radicem autem flauis vel castanei coloris fordibus foeda est: vrget nausea, plerumque et vomitus aut, quod in infantibus solet, diarrhoea: vrina tenuis, pallida et cruda: sanguis forte missus laete ruber in coagulum laxum, pituitosum et ferum copiosum flauique coloris discedit: saepe iam in initio, imprimis per noctem deliria: haemorrhagiae narium haud incon-
suetae.

§. IV.

Vna cum febre aut saltem breui post et ipsa *angina* apparet. Tonsillae, uvula,

palatum, pharynx etc. rubedine florida, splendente obducuntur et tument; unde faucium dolor, raucitas, deglutitionis et respirationis difficultas, aliqua tussis, colli dolens immobilitas et quasi laqueo constricti sensus. Tument et glandulae maxillares, buccales, linguales atque parotides, adeo haud raro ut suffocationem minentur. Inflammationem affectarum partium mox exulceratio excipit: hinc illinc dispersas vides maculas albas aut cinerei coloris, quae cito numero crescunt, in vnum confluent et vlcera formant plerumque superficialia, sed interdum quoque subiacentes partes satis alte depascentia.

§. V.

Anginam pressio gradu insequitur *efflorescentia scarlatina*, modo in singulis tantum corporis partibus conspicua, modo totum corpus aequali rubore obducens; haud raro miliari alba vel purpura eruptione variegata; nil, quod ad febrem saltem attinet, emendans.

§. VI.

§. VI.

Haecce tria, quae morbum constituunt, phaenomena secundo et tertio die vehementer et quouis momento incrementum accipiunt. Pergit vomitus aut alui insignis laxitas: vrina turbida quasi bile tincta est: pergunt narium haemorrhagiae: obueniunt menses praecoces et saepe periculum minitantur: incrementum accipit vertigo, dolor et grauitas capitis: continuat inquietudo, anxietas, somnique neccia sollicitudo: plurimi diu noctuque phrenitico more delirant: nonnulli stupidi iacent, stertunt, sibi obmurmurant ipsi, vel alto sopore submersi iuter vitam mortemque medium tenent.

Ulcera omnes oris interni partes exedentia gangraenosa crusta obducuntur, obscuriorem colorem induunt liuidumque vicinia impertiunt: hinc deglutationis et respirationis difficultas horrendum in modum surgit; vocis raucitas atque obtusio adeo vt intelligi nequeat incrementum accipit; magna foetentis, purulenti muci, nonnunquam

sanguine tincti copia exscreatur; foetidissimus et cadauerosus spiritus odor aegrum aequae ac circumstantes molestat. Inflammationem et excoriationem participant et nares internae, unde sternutatio frequens et stillicidium saniei foetidae, discoloris, sanguine commixtae, acerrimae, omnes quas tangit partes fauciantis. Hanc si deglutierint aegri, aut inspirando in tracheam pulmonesque detulerint, en largum variorum et grauium morborum secundariorum fomitem, inflammationis et excoriationis intestinorum cum torminibus et diarrhoeis dysentericis, tussis chronicae, peripneumoniae et phthiseos, interdum post plures hebdomades imo menses demum lethalium.

§. VII.

Hisce symptomatibus stipatus morbus plerumque ad sextum diem, interdum autem ad duodecimum et ultra increscens pergit; ni forsan iam primis nychthemericis materia morbi ad pulmones, siue ad cerebrum delata, peripneumonico vel apople-

ctico

ctico modo, vel denique sub conuulsioni-
bus aegrum abstulerit. Crises nunc, sine
quibus nulla salus, per sudores plerumque
fiunt, aut per vrinas, sedimentum furfura-
ceum demittentes; quibus larga facilisque
expectoratio et cuticulae desquammatio suc-
cedit. His perfecte absolutis febris remit-
tit, pulsus rarior et mollior fit, crustae
gangraenosae decidunt, vlcera purificantur
et consolidantur, glandularum succidit tu-
mor (nisi forte parotis suppuret), somnus
et appetitus redeunt, et breui pristina resti-
tuitur sanitas.

Sed rarus est laetus hic rerum exitus:
saepissime nulla superuenit crisis, sed cutis
continuat ficcitas, urinae pallor, exanthema
modo retrocedit modo redit, in liuidum
colorem vergit, petechiis variegatum est,
et omnibus aliis symptomatibus magis ma-
gisque incrementibus accedit denique extre-
morum frigus, oculorum tristitia, alui in-
voluntaria euacuatio et inter spasmos varii
generis mors ostia pulsat: nisi forte larga

aliqua narium haemorrhagia subito necet, vel leucophlegmatia superueniat, vel retenta morbifica acrimonia hecticam febrem, aut chronicus denique quidam pulmonum et intestinorum affectus, diuturnam pedisequam habeat tabem.

§. VIII.

Epidemice morbus grassatur, infantibus praesertim tenerioribus infestus, quorum puellas saepius et grauius quam pueros affligit. Adultis plerumque parcit, vel saltem feminas tantum debiliores aut mares deliculae constitutionis, labefactae valetudinis, morbis debilitantibus exhaustos, attamen rarius hosce et mitius afficit. Per integros quidem annos hinc inde caput effert; attamen autumnales menses, calidas, que et humiditas tempestates prae aliis amat.

§. IX.

C a u s a e.

Proxima morbi causa, vt de quo omnes consentiunt, humorum corruptio putrida

putrida est. *Occasionalis* contagium: nunquam singuli afficiuntur, raro vni omnium qui familiam, in quam pedem tulit, constituunt, parcitur. Spiritus imprimis miasma communicare videtur, et inde, si sese exposuerint, adulti robusti quoque infici queunt. Ad morbum *praedisponunt*: 1) aetas infantilis; 2) sexus fequior; 3) fibra laxa; 4) omnia quae fibram laxant: imprimis nimiae euacuationes, haemorrhagiae, menstrua nimia, lactationes frequentes, diu protractae; omnes qui vires infringunt morbi; animi tristitia pathemata; habitatio locorum humilium, humidorum, paludorum; clima humidum; mala tempestas, malos praebens fructus, malas messes; praeus victus etc. Hinc pauperibus infentior quam ditiōribus morbus. (JOHNSTONE *Samml. von Abhandl. für praktische Aerzte. Bd. V. p. 375.*)

§. X.

Prognosis.

Nonnullis quidem fatis mitis morbus est, adeo ut sine ullo artis adiutu, imo sub mala arte, solius naturae viribus suffocetur, (FOTHERGILL *sämmtliche Schriften. Bd. I. p. 300. 315.*): in genere autem periculosissimus est, saepissime lethalis; adeo ut MARTEAU (*Description des maux de gorge, introduit. p. XX.*) in paruo quodam pago quadraginta tantum domos numerante, per vnum hyemem quadraginta et duos infantes eodem e medio sublato viderit; ut CVELENIUS (*Aufangsgründe der praktischen Arzneik. Bd. 2. p. 103*). hoc morbo detentos plerumque mori affirmet. Caeterum contagii in corpus delati varia quantitas, varia acrimonia, variaue natura ad morbum magis vel minus periculofum efficiendum (ut FOTHERGILLIUS *l. c. p. 316.* suspicatur) nil videntur posse: quo pluribus quis et grauioribus causis praedispositus est, eo periculosius decumbet.

Hifce

Hisce generalioribus specialia adhuc quaedam prognostica addenda sunt:

Eruptio larga, cito et facile propullulans plerumque bona; retrograda autem, in liuidum colorem vergens, et petechiis variegata, pessima.

Vomitus et diarrhoea post exanthematis eruptionem perseverantes, mali ominis.

Haemorrhagia narium in morbi progressu saepe lethalis.

Oculi tristes, emortui, mortem instare indicant.

Quo magis vlcera fauces exedentia in atrum colorem vergunt, eo magis periculi.

Effluxus saniosus e naribus subito suppressus, saepe lethalis. (Huxham opera Tom. 3. p. 103.

§. XI.

Medela.

Medendi methodus huic de morbo theoriae superstructa non potest quin omnes euacuationes, tam Venaesectionem quam eme-

emeticorum et purgantium vsum, prorsus proscribat vel saltem arctis limitibus circumdet: tanquam vera autem et vnica morbi remedia *alexipharmaca cardiaca*, vt Crocum, Myrrham, Camphoram, confectionem cardiacam Raleigh., Vinum, puluerem Contraieruae et e chelis cancrorum compositum: et *antiseptica* potentissima, vt Corticem peruianum et minerale acidum, commendet. Totius itaque ant-anginosae medicinae cardo in eo vertitur, vt alexhipharmacis cardiacis et diaphoreticis materia morbi e corpore eliminetur ac symptomata maxime vrgentia, diarrhoea nempe et virium summa prostratio subleuentur, (FOTHERGILL *l. c. p. 305. sq.*): et denique vt antisepticis, quam cum humoribus contagium communicauit, putredo corrigatur.

Quaenam autem ex antisepticorum tribu prae aliis eligenda sint, est de quo non omnes consentiant: eiusdem saepe remedii apud alios laus, apud alios vituperium. Sic *Corticem* herculeum remedium

dium vocant IOHNSTONE (*l. c. p. 404*). DON. MONRO (*Samml. v. Abhandl. f. pr. Aerzte. Bd. V. p. 199.*). LEVISON (*Beschreibung der epidem. Braüne p. 13*). CONNELL (*v. MARTEAV l. c. p. 122.*) et alii: quem FOTHERGILLIUS nunquam cum successu propinasse a LEVISONE (*l. c. p. 37.*) scribitur, aut saltem, vti ex praefamine, quod vltimae sui de *angina putrida* libri editioni praefixit, liquet, sero demum cum aliqua euphoria adhibuit: quem MARTEAV (*l. c. p. 100. sqq.*). prorsus fere ex anginosa medicina relegat. Sic *Camphora* omnibus aliis palmam praeripere CHOMELIO (*dissertation sur le mal de gorge gangren. p. 86*) et MARTEAVIO (*l. c. p. 104. sqq.*) dicitur, cuius alii vix ac ne vix quidem meminerunt. Simili modo de *vesicatoriis*, de *vino*, de *contraieruae composito puluere* et aliis disceptatur.

Sed et topici faucium affectus respiciuntur. Applicantur iniectiones et gargarismata ex antisepticiis varii nominis et irritan-

tantibus conflata, ad gangraenam cohibendam, crustarum separationem promouendam, ad vlcera purificanda et consolidanda.

§. XII.

Pauci sunt qui ab hac agendi norma discedunt: et horum CHOMELIVM et GRANTIVM nominasse sufficiet. ILLE putridam quidem morbi naturam ex eius causis et phaenomenis arguendo fatagit (*p. 56. sq.*), ideoque medelam putredinem coërcentem viresque sustinentem adhibendam esse, recte censet (*p. 72.*): sed hisce indicationibus miro modo Venaesectione potissimum eaque saepe repetita satisfacere conatur. GRANTIVS (*Beobachtungen über die Fieber p. 510 sq.*) de omnibus *malignis morbis* haec statuit: Morbi malignitas in eo est, quod eius materia coctionem non admittit, i. e. naturae viribus neque corrigenda neque mutanda sub ipsi propria specie e corpore eliminari debet: quod humores sibi assimilant, omnibus, quae ex humorum penu secedunt, sese communicant, ideoque vi contagiosa

giosa pollet. Quivis autem malignus morbus miasmate specifico producitur, cuius effectus in corporibus in quae delatum est, semper iidem erunt nisi naturae impedimenta obstant, unde eiusdem morbi decursus in diuersis corporibus prorsus a se diversus esse et igitur quoque prorsus diuersam medendi methodum indicare potest. Morbus malignus itaque aut simplex est, i. e. cum febre quadam nullius generis accidit, aut cum febre inflammatoria siue gastrica (communes vocat GRANTIVS) aut etiam cum alia maligna vel pestilentiali compositus. Si prius, materia morbi per sudorem protinus e corpore depellenda, deinde autem eius in humores, quos iam sua natura imbuat, effectus delendi, crisesque salutares promouendae sunt. Si posterius, longe alia erit medendi ratio: malignitas enim cum morbo principe quocum pro epidemiae more aliisue causis composita est, increfcit, stat et decrefcit: ideoque et eadem, quae huic morbo conuenit medela, malignitati quoque respondet.

Quare

Quare, vti in omnibus malignis morbis ita quoque in *Angina maligna* in id probe inquirendum est: an contagium in corpore caeteroquin sano, nullo epidemico vel sporadico malo affecto, anginam malignam simplicem fliterit, vbi illico materia morbi per diaphoresin eiicienda, deinde autem, quacum humores imbuunt, putredo corrigenda et qua natura iubet via, per sudorem plerumque, crisis promouenda est; an in corpore ad phlogosin disposito phlogosin cierit, vbi Venaesectio; an fordes primarum viarum mobiles offenderit, vbi euacuantia administranda sunt antequam morbi ipsius materiam expellere conemur; an cum alia putridae indolis febre contigerit, vbi alexipharmacis antiseptica admiscenda sunt.

§. XIII.

Et quis hanc plurimorum obseruatorum medendi methodum eorum de morbo theoriae congruam esse negabit? Si vera haec, bona erit et illa: si autem, falsa haec,

haec, [nil boni certe ab illa sperandum. Num successus huius methodi theoriae veritatem probavit? Minime fane: nam quidquid inde praedicauerint omnes, omnia si contuleris, patet, euasisse quidem haud paucos sed plerosque tam mite affectos, ut etiam sine ullo adhibito remedio eos euasuros fuisse credam; grauius affecti plerumque interierunt, aut saltem non nisi post graues cum morte luctas eluctati et vacillanti sanitati restituti sunt: et hoc methodi in usum vocatae dignitatem minime potest probare; nam quis veterum et recentiorum medicorum est qui non sua agendi ratione, licet omnia sanioris medicinae praecepta euertente, mirum quantum se profecisse gloriatur? Nonne ipse GRANTIVS (p. 320.) ex SYDENHAMI *Secl. IV. cap. IV.* transcribit:” non sufficere ad comprobendam in *Acutis* medendi rationem, ut feliciter cederet, (cum ab imperitissimarum muliercularum temeritate sanentur nonnulli) sed requiri adhuc, ut morbus, nullo negotio victus, quasi suoapte ingenio cedat, atque

abitus adfectet, quantum eius natura fert"? Ceterum morbi lethalitatem optime affirmat signum illud diagnosticum, quo eum inter plura alia, a scarlatina distingui vult, CVLLENIVS (*Anfangsgr. Bd. 2. p. 103.*): "fere omnes scilicet, quos Angina maligna afficiat, mori, quos Scarlatina, euadere".

Vnde itaque tristissimus ille successus, totius quem materia medica offert antiseptici apparatus, largi vsus? Si vera esset theoria, et ei superstructa medela conduce-
ret: nam vere SYDENHAMVS ait: "praecipuum medicinae faciendae defectum non in eo verti, quod nesciamus quo pacto huic aut illi intentioni satisfacere debeamus, sed quod non satis sciamus quaenam sit illa intentio cui satisfaciendum est". Quod si indicationes se tibi obtulerint, laetare, non deerunt enim quibus iis satisfacias remedia: sed absentibus, vel quod peius adhuc, fallentibus illis, si omnia, quae ditissimum dispensatorium offert remedia, adhibueris, rara illorum et fortuita tantum
erit

erit efficacia. Oportet itaque fallaces esse illas, quas theoria praebet indicationes; oportet fallacem esse theoriam ipsam. Et id est, quod pro virium modulo nunc probare conabor.

§. XIV.

Priusquam autem id ipsum aggrediar non possum, quin alicuius difficultatis mentionem faciam, quae observatores in huic morbo medendo nimis semper vexavit. Nequeunt enim *Anginam malignam* et *Scarlatinam* distinguere: et tamen certa diagnostica inter utrumque morbum signa stabilire, eo magis iis incumbit, cum omnes consentiant medelam utrique morbo convenientem toto ut dicunt coelo debere differre. Sed quisnam in hac tanti momenti et tam anfractuosae indaginis re satisfecit? Omnia illa signa quae tanquam diagnostica inter utrumque imprimis WITHERINGIUS (*Samml. auserl. Abhandl. f. pr. A. Bd. V. p. 279.*), et CULLENIUS (*Anfangsgründe. Bd. II. p. 101.*) collegerunt, eo redeunt,

vt leuiorem affectum *Scarlatinam*, grauiorem *Anginam malignam* esse statuunt. Qui autem ea perlegerit, quae in Scarlatinis epidemicis imprimis obseruarunt BICKERVS (*Samml. auserl. Abhandl. f. pr. A. Bd. IX.*). WITHERINGIUS (*ibidem Bd. V.*). PLENCIZ (*tractatus de Scarlatina*). De HAËN (*ratio medendi continuata. Tom. I.*). NAVIER (*Dissertation en forme de lettre sur plusieurs maladies à Chalons sur Marne*) et alii; primo iam intuitu videbit, *Scarlatinam* saepe iisdem, eadem facuitia instantibus symptomatibus, quibus vnquam *Angina maligna*, fuisse stipatam: eadem morte apoplectica, vel peripneumonica, sub iisdem spasminis necasse: iisdem exceptam fuisse morbis pedisequis *). Sed pone adesse aliquam

*) Duo diagnostica signa quae prae aliis maximam speciem in fronte habent, propius examinemus.

1) *Anginam malignam contagiosam* esse omnes contendunt, *Scarlatinam* esse plures negant: sed hos non legisse, certum est, quae

quam inter vtrumque morbum quoad gradum differentiam: quae quacso diagnosis dubio-

quae BANG (*Acta Hafniensia Vol. II. p. 76*) de Scarlatina memorat. Ait enim: "Contagii vis insignis videtur. Raro vlli in familia quam aggrediebatur pepercit; huius argumentum mea propria domus dedit, vbi liberi, ancilla, vxor, ego ipse hoc morbo aegrotauimus; quid, quod agnata quae ex prouincia apud nos per aliquot dies commorata fuerat et in cubili cum aegrotis dormiuerat, domum redux morbum secum portauit qui mox omnes liberos, e sex tantum vnico excepto inuasit".

2) Omnibus fere Scarlatina eundem hominem semel tantum inuadere creditur, multa autem exempla probant eum qui iam vera Scarlatina laborauerit Angina maligna denuo corripipi posse. Huic oppositioni respondeo: tam Scarlatinae quam Anginae malignae contagii vel singulam vel iteratam in eundem hominem efficaciam rem quam maxime dubiam esse, cum tam Scarlatinam quam Anginam malignam ter, quater imo pluries eundem afficere viderint BICKERVS (*l. c. p. 94.*) et MARTEAV

dubiosior hac? Nonne eundem morbi gradum alter Scarlatinam vocabit, Anginam alter? TISSOTVS saltem exemplo est, qui (*avis au peuple* §. 117.), ab aliis (BICKER *l. c. p. 183*) anginam malignam, ab aliis (ROSENSTEIN *Kinderkrankheiten p. 329.*) Scarlatinam descripsisse creditur. Nonne itaque eundem morbi gradum alter, modo a WITHERINGII lectione aduocatus, *Scarlatinosa*, alter modo FOTHERGILLIVM de manibus deponens, *Anginosa* oppugnabit medicina? Quis limites ponet quos citra Scarlatinae, quos ultra Anginae prouincia esto?

§. XV.

Nil itaque omnibus medicis exoptatius fore existimo, quam si probare contingeret vtrumque morbum vnum eundemque esse, neque differe in quem morborum ordi-

(*l. c. p. 2.*); in genere autem mihi videri eundem qui semel Scarlatina simplici laborarit, denuo quoque Scarlatina miliari (de qua plura infra §. XXVI) affici posse.

ordinem, qui praesens est, reducatur. Sic enim nuspia vbi aut anginosus aut scarlatinus affectus praedominet, quisquam anxius fluctuaret ad quamnam remediorum classem sibi confugiendum sit.

Plures sunt qui iam utriusque morbi identitatem suspicati sunt quorum nominare sufficiat v. d. HEVVELL (*tentamen nosologicum p. 383.*), sed qui probauerit nemo. Quis me, si contigerit, felicior?

§. XVI.

Contendo itaque *morbum hucusque sub Anginae malignae nomine toties obuium, symptoma, et scarlatinam hucusque pro Anginae symptomate venditam morbum esse*, quem Angina, modo grauius, quam alias solet, vrgens, symptomatice comitur. Accidisse itaque morbo nostro quod de tot aliis queritur STOLLIVS (*Ratio medendi T. II. p. 167. edit. Viennae apud Wapplerum. 1788.*) dicens: "non paucae epidemiarum descriptiones prostant, quas

qui scripsere, quasi nouas quasdam aut nunquam omnino aut rarissime visas et arbitrabantur et posteros sic persuadebant. Id inde contigit, quod aduentitium quoddam non essenziale, sed hoc anno eminentius fortasse atque vniuersalius spectatum symptoma arripuerint, indeque tanquam a characteristica nota digressi, epidemiae notionem formarint, non vtique genuinam, cum ab accidentalibus solum non necessariis et mutabilibus repeteretur, atque etiam deceptricem quia morbi malam notionem mala consequi methodus debebat". Hinc, alibi (*Tom. 2. p. m. 78.*) ait: "nouam febrium cohortem terris incubuisse clamatum saepius est, cum nouus tantum esset eiusdem febris lusus. Rem leuiculam et accidentalem, sed quae philosophantium oculos non feriebat, arripuerunt, missa morbi essentia, nubem pro Iunone amplexi". Neglexisse itaque morbum principem obseruatores, iudico, et cum quodam symptomate esse colluctatos.

§. XVII.

Et quibus haecce mea sententia nititur,
argumenta haec sunt:

Omnem Scarlatinam cum aliqua tantum
vehementia instantem (eam de qua SYDEN-
HAMVS (*Secl. VI. cap. 2.*) egit, eo magis
excipere licet, cum ipse auctor eam tam
fuisse mitem, vt vix ac ne vix quidem morbi
nomen merita sit, affirmet) comitatur an-
gina symptomatice, pro epidemiae, endemi-
ae, eorum quos afficit corporis constitutionis
et aliorum varietate, modo minore, modo
maiore (adeo vt dentur auctores qui in
anginam plerumque magis quam in ipsam
scarlatinam animaduertendum esse asserant)
cum faeuitia vrgens. Haec est inflamma-
tio catarrhalis a congestione humorum se-
roforum et lymphaticorum plus minus
acrium ad faucium glandulas, quae aliorum
quoque catarrhalium symptomatum vt ocu-
lorum rubedinis et lacrymarum, sternuta-
tionis frequentis etc. comitio vitur. Con-
tagium Scarlatinofum sicuti et morbillosum

et sub quibusdam conditionibus interdum quoque variolosum, id sibi proprium habere videtur vt catarrhalia semper symptomata cieat. Nam absente alia febris modificatione, catarrhalem haec aemulatur: et licet aliqua complicatio adsit, quaedam tamen catarrhalia symptomata nunquam desiderantur. In corpore, blandis humoribus submerso et solidis iusto cohaesionis gradu iustaque vi vitali pollentibus, quorum mutua actio et reactio suis limitatae legibus harmonicam exhibent proportionem, praedito, haec catarrhalia symptomata eo minus urgebunt et eo facilius resolventur, quo saevius urgebunt et rarius vel morosius saltem arti auscultabunt in corporibus solidorum laxitate et humorum acrimonia ad catarrhalem constitutionem praedispositis. Huius praedispositionis frequentissimae et efficacissimae causae sine dubio atmosphaera calida et simul humida, nebulosa, et victus vilis praeusque sunt. *Illa* cutaneos poros summe laxat, nimiam aquosarum partium copiam attrahi finit, vnde humores collu-

vie ferofa inundantur, folida humectata flaccefcunt, torpent, debitae in contentos humores reactionis obliuifcuntur, perfpirabile retinent et hac partium excrementitiarum retentione totum humorum oceanum acri corruptioni fubiiciunt. *Hic* quo magis vifcida, quae ingeruntur, funt, eo magis nocebit. Vifcida enim naturae viribus non rite fubacta chylum producunt glutinofum nimis, humores, cacochymia pituitofa infpiffant, inperfpirabiles reddunt; vnde tardior quoque eorum per canales tranfitus, ftagnatio, obftructio, aliarum etiam, praeter cutaneam, fecretionum et excretionum impedimenta, et hinc humorum varia acrimonia.

Conftat autem Anginam malignam illas regiones, illa anni tempora, illas tempeftates, illud denique hominum genus praee aliis adamare, in quibus maxima ad catarrahalem acrimoniam procliuitas eft. Conftat eam praee omnibus aliis regionibus faepiffime femper et grauiffime in *Anglia* faeuiffie ibique quafi ciuitate donatam effe: Angliam autem

autem (GRANTIVS *l. c. p. 140.*) ob nebulo-
 sum et quam maxime pluuiosum clima, ob
 frigoris calorisque repentinas commutatio-
 nes, quibus obnoxia est, iis imprimis mor-
 bis indulgere qui a retenta perspirabili ma-
 teria producuntur, et catarrhis grauius quam
 alibi instantibus et in dispositis difficillime
 arti obaudientibus faecundissimam esse.
 Constat morbum in *Gallia*, *Germania* etc.
 raro tantum et timide caput extulisse et
 non nisi in iis regionibus pedem fixisse,
 quae situ, climate et atmosphaera, nubibus
 pluuiis foetis, tristi, humidam *Angliam*
 humidumue *Belgium* mentiantur: sic ciui-
 tatem *Aumale* eamque circumdantem regio-
 nem, quae epidemiam longe lateque graf-
 fantem et vti videtur satis grauem perpeffa
 est, positam esse legimus (MARTEAV *l. c.*
p. 134. sqq.) in valle amplis siluis adum-
 brata, quae Boreae et Austro aditum per-
 mittunt, exitum recusant, Euruin autem
 atque Fauonium intercipiunt; unde stag-
 nant quibus siluae abundant, quos auster
 secum ducit, aquosi vapores, stagnat et
 cor-

corrumpitur aër quem cohibiti venti non mouent, et hinc omnia illa, quorum toties Belgium toties accusata est Anglia, mala nascuntur. Constat porro, morbum istos praesertim maculare menses (HUXHAM *l. c. p. 98.* FOTHERGILL *l. c. p. 283. et alii*) qui transpirationis suppressioni praeter aliis indulgent, autumnales puta: in istos praesertim annos incidere, (HUXHAM *l. c. p. 93.*) qui regnante humida atque nebulosa tempestate terrae fructus insipidos, aquosos, crudos, et mala grana praebent: adamatam denique sibi habere puellarem aetatem et e prouectoribus non nisi debiles faeminas aut quos laxum et imbecille corpus faeminis exaequauit, mares adoriri.

Num mirum itaque hancce prauarum concaussarum farraginem sufficere, ut illa catarrhalis inflammatio, quae in corpore sano benignam resolutionem facile subiisset, in malam suppurationem iuno ipsam gangraenam abigatur, imprimis si stimulum pravae materiei in intestinis hospitantis (de qua inferius sermo erit) addideris, qui toties

ties sibi solus sufficit ad inflammationibus gangraenam subducendam? In faucium enim exulceratione et gangraena morbi essentia posita non est: non vi morbi proxime illae, sed mediate producuntur: inflammatio medium est: haec ob acriorem prauorum humorum et in systemate gastrico haerentis colluuiei stimulum, eo facilius, cui quacuis alia inflammatio aequae obnoxia est, sortem, exulcerationem nempe et gangraenam, subit, cum solidorum, quae irritat, debilitas aciori et diuturniori irritationi non par est, facilius quam alias solet succumbit, emoritur: inflammationis resolutioni quae obstant remoue, et nulla videbis vlcera, nullam gangraenam.

Apparet itaque omnia illa, quibus Angina maligna ab ea, quae quamuis aliam comitatur Scarlatinam, differt, non nisi ad humorum lymphaticorum et serosorum acrimoniae, et solidorum debilitatis maiorem gradum pertinere: hunc maiorem autem gradum non a propria et specifica morbi

morbi natura sed solum a concaussis pravis iisque mere accidentalibus pendere. Rectene itaque vtrumque morbum ad diversos morborum ordines reduces? Quis est qui nesciat, quanta clades in corpore malis humoribus redundante vel ab acus ictu possit exoriri; quantam vlceribus fordem, quoties inflammationibus et vulneribus rebellem gangraenam afflet inquinatus nosocomialis aër? Num itaque licebit inflammationes istas, vulnera ista, quae, nisi accidentalialia impedimenta obessent, sponte forsan resoluerentur et consolidarentur, ob ipsa haec accidentalialia impedimenta ab inflammationum et vulnerum prosapia relegare atque in alios morborum chirurgicorum ordines reducere?

Verissima itaque optimi STOLLII (§. XVI.) verba: "aduentitium quoddam symptoma eminentius modo atque vniuersalius spectatum arreptum et inde epidemiae notio falsa et decepatrix formata est."

§. XVIII.

Hisce quaeso addas:

1) Eodem tempore quo Angina maligna grassata est, et Scarlatinam veram esse observatam; vel epidemiam anginofam excepisse Scarlatinofam vel praecessisse, cuius rei imprimis WITHERINGIUS et BICKERUS (*l. c.*) exempla afferunt; (ego autem dicerem: Epidemiam vnam eandemque Scarlatinofam adfuisse, sed, ut quaevis alia solet, modo ingrauescentem modo denuo mitescentem). Addas

2) Anginam malignam (exceptis rarioribus casibus iisque (§. XIX. A. 3.) facile explicandis) vna cum Scarlatina apparere, incrementum, durare et disparere, nisi forte symptomata quaedam fortuita (symptomata symptomatis vocant) ut glandularum submaxillarium et parotidum induratio et exulceratio, pulmonum et intestinorum multiplex labes etc. remaneant variamque secundariam scenam ludant. Addas

3. Anginam malignam contagio scarlatinam veram communicasse, (WITHERS *Bemerkungen über den Misbrauch der Arzneimittel. p. 39. Nota.*) et anginam quandam mucosam vti cum STOERKIO eam GRANTIVS (*l. c. p. 573.*) vocat, contagio anginam vere malignam impertiisse: (erat autem vtrique cum Scarlatina eruptione coniuncta. GRANT *p. 577*).

Et nullus dubitabis Anginam malignam propriam exhibere morbi speciem nec debere nec posse. *Non debere*, quia omnia illa phaenomena, quae sibi propria habere hucusque visa est, in quavis Scarlatina, modo corpus aegroti satis praedispositum sit, obuenire poterunt et iam obuenerunt (cf. §. XIV.): *non posse*, quia contagio non semper sibi similem progeniem creat. Quomodo enim contagium maligno - anginosum Scarlatinam, mucofo - anginosum veram malignam anginam producere potest? Tunc vnquam variolas a contagio morbilloso, morbillos a varioloso vidisti exoriri? Fac autem Scarlatinam morbum principem esse et anginam

symptoma, et non miraberis minus urgentibus vel prorsus absentibus malis concaussis, symptoma morbi minus urgere, vel prorsus abesse.

§. XIX.

Sed nondum sufficit probasse, Anginam malignam morbum principem non esse: probandum adhuc superest, Scarlatinam in hoc morbo non esse symptomaticam. Et huic satagent varia haec argumenta:

A. Docente GAVBIO (*institut. Patholog. §. 112. sqq.*) omnia symptomata in morbis obuia aut *Necessaria* sunt, aut *Non-necessaria*. *Necessaria* sunt: 1) Symptomata morbi, i. e. effectus sensibiles vi praesentis morbi proxime producti, quorum ergo ad morbum eadem quae morbi ad suas causas relatio est, siue quibus ut praesentem morbum comitentur eadem necessitas est quae huic, ut suas sequatur causas. 2) ex symptomatibus auxiliaribus siue virium naturae contranitentis conatibus, ea quae cum causa morbi concurrere debent ad-

ad ipsam morbi speciem producendam, itaque symptomata actiua sunt, quae si abessent morbus in aliam speciem abiret. Haec necessaria symptomata cum morbo ita cohaerent ut eodem posito suasque vires euolvente non possint quin ocyus ferius sese manifestent. Reliquorum symptomatum, quae itaque *Non - necessaria* dicere licet, laxior cum morbo cohaesio est, ita ut abesse et adesse possint. — Vtrinam harum symptomatum classium Scarlatinam in Angina maligna annumerabis? Num necessariis? Non licet; nam neque vi praesentis Anginae proxime producitur, neque cum eius potentiis concurrit ad speciem Anginae malignae producendum. Num non necessariis? Posses, si constaret eam vel adesse vel abesse posse: non poteris, si constet eam cum morbo ita cohaerere ut non possit quin semper sese manifestet. Et hoc esse, mihi persuasum habeo: et quibus nitor argumenta haec sunt:

1.) Dantur nonnulli auctores, qui Scarlatinae sine vlla conditione tanquam

inseparabilis morbi comitis meminerunt
 v. c. CVLLENIVS (*Anfangsgr. d. Arzneiwiss. Bd. 1. §. 314.*). Alii Scarlatinam
 modo non semper adesse affirmant, v
 FOTHERGILLIVS (*l. c. p. 285.*). Alii
 denique nullam quidem subinde eruptionem
 obseruarunt, sed hoc in casu insignis
 subsequabatur cuticulae desquamma-
 tio. (HUXHAM *l. c. p. 104.* JOHNSTONE
l. c. p. 357.) Nonne hoc idem est ac
 si Scarlatinam ipsam obseruassent? Quo-
 ties enim idem contigit illis in epide-
 miis scarlatinosis quas obseruarunt et de-
 scripserunt EICHEL (*Acta societatis Hav-
 nienf. Vol. 2.*) et BICKER (*l. c.*). Quid
 iste morbus - Cholera quem MARTEAV
 (*l. c. inde a. p. 40.*) epidemiam maligno-
 anginosam intercurrisse ait, aliud est,
 quam Scarlatina? Nam eruptionem qui-
 dem non obseruauit, sed morbus larga
 desquamatione iudicabatur, et saepe
 pedissequam habebat Leucophlegmatiam.

2) Sunt quidem qui in nonnullorum
 aegrorum historiis nec de eruptione nec
 de

de desquamatione sermonem iniecerunt : sed quidni eam nonnunquam tanquam symptoma omissam, quidni nonnunquam ob tenuitatem vel coloris insensibilitatem haud esse obseruatam putemus? Quam facile hoc sit, probat aegri cuiusdam historia, quam Praeceptoris summe mihi venerandi, STROMEIERI liberalitati debeo: Vidit enim adultum grauissimis omnibus, quibus vnquam Angina maligna stipata fuisse refertur, symptomatibus affectum. In Scarlatinam inquirens nil prater vix effatu dignum quid cum aliquo tumore coniunctum, in digitorum apicibus detexit. Sed nomen morbi non curans, morbo medelam fecit. Nec diu quod nomen conueniat latuit. Paucis enim diebus post in eandem domum arcessitus, et, vt duobus infantibus hydrope intercute totius corporis tumidis consuleret, rogatus, facile certior factus est hos ante octiduum febre Scarlatina sed adeo miti vt artis subsidii non indiguerint, laborasse, et priorem aegrotum saepius

apud hos contagio sese exposuisse. Quis est qui hunc morbum anginam malignam nominare dubitasset, nisi tempestive infantum tumor et hinc praegressae scarlatinosae infectionis notitia subuenisset?

3) Ne animus quidem est negare interdum abfuisse exanthema aequae ac desquaminationem. Potest, salva mea theoria. Eruptio enim etsi nequaquam critica, attamen semper salutare naturae molimen est. Quo tenuior haec, eo grauius secundum fere omnes tam de angina maligna quam de Scarlatina auctorum observationes (BICKERVUM *l. c.* p. 142 et alias, nominasse sufficiat) omnia alia, imprimis anginosi affectus, instant: et sic vice versa. Nec mirum id, nam natura forma eruptionis partem materiei morbificae ad cutem deponit: deficiente itaque hac depositione, non potest quin reliqua omnia grauius vrgeant. Causae quae uti in quouis alio exanthematico morbo, ita etiam in hoc eruptionem retinent, in aprico sunt: adest enim

enim aut vera virium magna prostratio aut spuria debilitas a plethora vel primarum viarum fordibus oriunda, aut cutis inperspirabilis rigiditas aut denique spastica pororum a refrigerio constrictio. Pone has causas minus esse efficaces, aliqua quidem at tenuis eruptio erit; pone magis esse, nulla, et tunc periculosissimus morbus est. Idem in Scarlatina epidemica observavit BICKERVS (*l. c. p. 149.*). — Caeterum maior morbi in fauces quam in cutem decubitus etiam ab epidemia, sicut vario-losi in oculos, morbillosi in pulmones etc.: et denique ab aegrorum aetate pendet; adulti semper minus atque palidius rubent, saepissime desquammationem sine praegressa sensibili eruptione perpetiuntur. Ii qui quadragesimum annum iam superarunt nec eruptioni nec desquammationi videntur esse obnoxii: sed eodem tempore quo infantes rubedo scarlatina pingit, hi (*STOLL. Rat. med. T. II. p. 26. sqq.*) angina tantum et fe-

bre scarlatinam aemulante laborant. Quare STOLL (*aphorismi* §. 194.) in adultis febrem Scarlatinofam sine Scarlatina agnoscit.

Patet itaque eruptionem scarlatinam in angina maligna fere semper adfuisse, et si subinde abfuerit, hanc eius absentiam eodem modo posse explicari, quo non solum in Scarlatina vera, sed etiam in aliis exanthematicis morbis, eruptionis defectus explicandus est.

B. Si scarlatina in angina maligna symptomatica esset, non video quomodo fieret ut nunquam alia exanthematum genera corpora aegrorum tingant, ut nunquam de miliari et petechiali in aliis febribus toties obuius, sed semper de scarlatino sermo iniiciatur.

C. Praecox quoque Scarlatinae in hoc morbo eruptio symptomaticam eius naturam, ni fallor, dubiis subiicit, In aliis enim febribus exanthemata symptomatica sub finem demum et mala sub prognosi pro-

propullulant: hic autem scarlatina interdum omnium prima fuit.

D. Inter morbum et symptomata iusta solet esse proportio. At hic quo facius angina afficit, eo minus plerumque cutem rubere videmus.

E. Scarlatinae denique nimium in totum morbum momentum est, quam ut mere symptomaticam eam habere liceat. Quoties enim omnium symptomatum summa exacerbatio imo mors ineuitabilis post eius retrocessionem? (HUXHAM *l. c. p. 106.* FOTHERGILL *l. c. p. 305. et alii.*)

§. XX.

Haec spero sufficient ad probandum, quam de symptomatis cum ipso morbo permutatione protuli sententiam.

Num autem inde deriuandus sinister ille successus, quocum morbum oppugnare conati sunt observatores? Minime; nam si indicationes arripuissent et his adaptam medicinam fecissent, nomen quodlibet indere

per me liceret: nam de verbis contendere nolui.

Secunda itaque et grauiſſima cauſa, cui inſignem, qua morbus hucusque ſemper ſaeuit, ſtragem deberi cenſeo, eſt *falſa medicorum de morbi putredine opinio, falſaque huic ſuperſtructa antiſeptica methodus.*

§. XXI.

Et quibus haec mea accuſatio nititur, haec ſunt:

A. In ſymptomatum farragine, quibus ſtipatus morbus noſter omnibus apparuit obſeruatoribus, ea, quae putredinem tutiſſime teſtantur, nempe quae putridam colliquatiuam ſanguinis reſolutionem produnt, prorſus deſidero. Adſunt quidem haud raro narium haemorrhagiae, ſed quo iure has colliquatiuas nominare liceat, paulo inferius patebit. Aliorum ſymptomatum colliquatiuorum nemo meminit. Nemo de atra, ſicca et diſciſſa lingua; nemo de ardente cardiacorum deſiderio, et animalium ciborum pertinace auerſatione, pluribus.

ribusque aliis symptomatibus, quae, etsi febribus putridis sanguineis, exclusis omnibus aliis, vere propria esse dici non possint, earum tamen decursus haud facile immaculatum transire sinunt, sermonem iniicit. Num coniecere licet, auctores in commemorandis morbi symptomatibus alias tam fusos, tam diligentes, ea ipsa, quibus eorum theoria niti debet, si adfuissent, omisisse?

Sed audiatur et altera pars. Videamus quae pro morbi putredine argumenta proferant:

Viriumne summa prostratio putredinem notat? Hanc omnem putridam sanguineam febrem in secundo saltem stadio, (nam primum ea stipari ne solet quidem) comitari, facile concedo. Sed quot quaeſo febres contagiosae sunt, quas non comite-
tur? Huxham (*operum Tom. II. p. m. 104. 105.*) contagia id sibi propria habere asserit ut nervos imprimis afficiant et vim nervosam prosteruant. Grantius (*l. c. p. 519.*) idem de omnibus contagiis, praeter

ter morbillosum et id quod tussim conuulsuam gignit, contendit. Et quoties illa debilitas a vera virium inopia pendet? Nonne ipse GRANTIVS (*ibidem*) debilitatem spuriam a plethora et primarum viarum colluue nouit? STOLLIVS (*Rat. med. T. II. p. m. 181.*) ait: "pulsuum exilissimorum caussa saepe est materies circa praecordia summopere turgens; et hic optimum cardiacum emeto-catharticum est, quod pulsibus vigorem illico restituit. Stimulantia nil emendant sed mirum quantum fictitiam hanc debilitatem augment." Quis denique in morbo qui fere semper non nisi teneros infantes, eorumque tantum debiliores afficit, magnum medicatricis naturae molimen viriumque vigorem expectabit? Quid! quod CCHOMEL (*p. 41.*) hanc insignem virium deiectionem, in sua epidemia abfuisse expresse moneat!

Haemorrhagias narium et praecoces menses interdum putredinis et quidem summae putridae colliquationis indicia esse, nemo negabit. Sed quis semper eas colliqua-

quatiuas esse contendet? Verissima sunt, quae STOLLIVS (*Tom. II. p. m. 172.*) affert: "ipse febrilis impetus sanguinem aut e naribus aut ex vtero mouet. Si quando horum quid in morbo comparet, nec inde quid boni sperandum nec quid mali praefagiendum; neque vnquam inde agendorum ratio depromenda. Sufficit spectare ipsum morbum eiusque principem causam, atque hinc medelam opponere directam et parem".

Quod ad *narium haemorrhagiam* attinet, constat, eam saepissime primum morbi ingressum foedasse, vbi itaque tanta sanguinis colliquatio, vt inde haemorrhagiae prodire possent, nondum adesse poterat, imo vbi obseruatoribus testibus aut salutaris aut saltem innoxia erat. Hic ipse febrilis impetus sanguinem mouit. Idem in omnibus fere infantum acutis morbis saepissime visum est. Si autem in morbi progressu accidit, eam eo magis ab irritamento circa praecordia, vnde in aliis morbis toties oritur, aut a colli tam interno quam externo tumore qui arteriosum sanguinem transmittit,

mittit, venosum intercipit (vnde auctores ipsi apoplecticos affectus saepius in morbo nostro obuios repetunt) eumque cogit vt, qua ruat, portam quaerat, deriuandam esse censeo, cum nemo obseruatorum sanguinis stillantis putridam et dissolutam conditionem questus sit. Si denique sub finem morbi sanguis erupit, ipsi auctores (nominaſſe ſufficiat FOTHERGILLIVM *l. c. p. 291.*) fatentur hanc haemorrhagiam ab vlcerosa alicuius arteriae eroſione proueniſſe et ſubinde tam largam fuiſſe vt aegrum mox e medio ſuſtulerit.

Quod ad *menſes* autem *periodum anticipantes* in morbi decurſu obuias: has ſaepe alias, praeter putridam ſanguinis colliquationem, cauſas agnoſcere, probant quae inter plures alios auctores imprimis STOLLIVS (*T. II. p. m. 176.*) memorat. Ait enim: "ſaepe miratus ſum purgationes muliebres ob bilioſam febrem multum a ſuo tramite deflexiſſe, euafiſſe, anomalas, graues, periculofas, et ſola illa, quae fe-
brem

bre^m directe atque efficaciter aggrediebatur, denuo intra orbitam reductam esse."

Nonne quoque si colliquatiuae essent istae haemorrhagiae, et alia quoque colliquationis indicia adesse deberent? Quis autem est qui petechiarum striarumque a suffugillatione liuidarum, atrescentium, in putrida sanguinis dissolutione toties conspicuarum; quis est qui sudorum colliquatiuorum, foetentium, sanguineorum; quis denique est qui diarrhoearum certe colliquationem testantium meminerit? Nam diarrhoeae illae, quas omnes queruntur, ipsis testibus, aut biliosae erant, (FOTHERGILL *l. c. p. 289.* MONRO *l. c. p. 199.*) aut ab intestinorum, praua sanie deglutita, erosione pendebant. (FOTHERGILL *p. 290. et alii*).

Cum itaque haemorrhagiae hunc morbum maculantes neque ex se neque ex sociis tanquam colliquationis signa et effectus noscantur, nil aliud quam cuiusuis alius febris symptomata sunt.

Alui quoque *deiectionum* et *spiritus foetor* falso inter putredinis indicia numerantur. De *male* enim *olentibus alui deiectionibus*, tanquam fidissimis vitiosae intestinorum colluiei signis, ut de quo inter omnes constet, fusiolem esse non opus est. *Spiritus* autem *foeditas*, praeterquam quod ventriculi sordem saepissime prodat, imprimis vlceribus impuris fauces depascentibus tribuendus est, eoque minus putredinem notat, cum eandem BICKERVS (*l. c. p. 142.*) in Scarlatina epidemica cui inflammatoria adeo in genere natura haud videtur neganda, obseruauerit.

De *animi insigni in deliria pronitate* tanquam certissimo putredinis indice, omnes consentiunt. Sed iis respondeant, quorum auctoritatem haud suspectam habebunt, TISSOTVS, qui, de *febre Lausannensi* agens, inter viginti delirantes nouemdecim e ventriculo delirare, ait; et STOLLIVS (*T. II. p. m. 146.*) qui mentem multo frequentius a vitio gastrico, quam a sanguine aut alia alibi existente causa turbatam vidit.

Meteorismus, maximo, vereor, cum aegrotorum damno, tam in hoc morbo quam toties alias semper putredinem testari, creditus, saepissime alius originis, spasmodicae nempe est, et viuidissimam intestinorum in acrem biliosum stimulum reactionem, causam agnoscit: apparet itaque, ut STOLLII (*T. II. p. m. 19.*) verbis utar, ubi multa colluies intra sublime abdomen collecta moueri incipit atque exitum tumultuarie molitur, interaneis integris quidem at imbecillis.

Ne *gangraena* quidem putredinem notat. Gangraena enim, nisi ab intercepta nutritione orta, semper est vis vitalis alicuius partis praegressa inflammatione ultra sui extendendi facultatem intensa. Nil itaque prodit quam praegressam in parte affecta acriorem, diutius insistentem irritationem; quam solidorum debilitatem quae huic irritationi non diu paria facile succumbunt, emoriuntur; quam denique prauam humorum conditionem variūque in corpore latentem morbosum fomitem, tan-

quam secundaria irritamenta in affectam debilem partem agentes. Hinc STOLLIVS (*T. II. p. m. 185.*) inquit: "superuenientes febres gastricae morbos ipsos chirurgicos, vulnera, ulcera etc. repente et multo peiores effecere. Imminentem non raro in parte laesa gangraenam cura antibiliosa et aëre lustrato percussimus et ne sanati relapsum paterentur stomachicis remediis ventriculo cauimus." Hinc toties Venae-sectione et variis multiplex irritamentum hebetantibus remediis ad gangraenam coercendam et sanandam, quam ipso Cortice opus est. Cortex enim putredinis causa in gangraena adhibitus non gangraenae causam sed effectum oppugnat.

Videmus itaque omnia ea symptomata, quibus omnes freti putredinem accusant, saepe quoque, quin quaedam saepius, in aliis naturae febribus venire obuia, ideoque putredinis characteristica signa esse non posse: ea contra quae putredinem tutissime notant, hic prorsus desiderari. Me autem de morbo integro hic locutum esse et eum, in

in quem regimen ineptum falsaque medela morbum non putridum vertere potest, hic ad me non pertinuisse, vix est quod moneatur.

Vti autem hoc tanquam grauissimum meorum argumentorum, quibus de putredine morbi theoriam impugno, considero, ita tamen alia adhuc in promptu sunt, quae nunc breuiter subnectam. Itaque

B. Putridi morbi calidos aestatis menses prae aliis amant; Angina inaligna autem, etsi per integros annos hinc inde caput efferre visa sit, saepissime tamen et grauissime autumnali tempore hyemisque initio affecit. Sic FOTHERGILLIUS (*l. c. p. 283.*) a mense Septembri ad Decembrem totidem hoc morbo affectos vidit, quot per totum reliquum annum. Sic MARTEAU (*l. c. introduction p. XX*) morbum saepissime a mense Octobri ad Aprilem, raro aestate vidit. Sic HUXHAMUS (*oper. Tom. III. p. 98.*) morbum saepe Septembri, saepius Octobri et Nouembri, saepissime Decembri occurrisse affert. Sic DON. MONRO (*l. c.*

p. 197.) morbum faepissime autumnno et hyemnis initio sese obferre innuit. Sic denique illa epidemia quam obseruarunt et descripserunt CHOMEL et ASTRUC (CHOMEL l. c. p. 102.) mense Octobri grassata est etc. Et insuper GRANTIVS (p. 282. *sqq.*) multas *Londini*, vbi Angina maligna faepissime semper obseruata est, causas adesse refert, quae putridos morbos rariores reddant, adeo vt ante et praeter Iulium et Augustum epidemice non grassentur.

C. Secundum omnium medicorum, ipsiusque GRANTII (*cf.* §. XII.) obseruationem, febris, quam quoduis contagium in corpus delatum excitat, aut simplex i. e. solum naturae materiae morbificae exterminationem molientis conamen est, aut pro corporum, quae afficit, constitutionis et imprimis pro epidemiae, quae, dum dictaturam exercet, omnes morbos, quovis sub nomine veniant, suae ditionis facit suisque sub vexillis militari cogit, varietate, variam sibi complicationem adsciscit. Quomodo quaeso fieri posset vt in
hoc

hoc contagioso morbo febris semper putredinis foedo consortio vtatur, imprimis cum ipse GRANTIVS (*p. 351. 352.*) multas *Londini* concurrere causas dicat, quae bilem sufflent, cum ipse (*ibidem*) biliosam febrem autumnalem morbum nominet?

§. XXII.

Quid igitur omnes obseruatores, quoties faucium gangraenam inspiciunt, vno ore putredinem clamant? Vnde aliarum febris modificationum tanta apud omnes negligentia, vt matronas ipsas (JOHNSTONE *p. 341.*) et sacerdotes (MARTEAV *l. c. introduct. p. XV.*) cortice et ceteris antiseptis morbo mederi docuerint? Vnde ipse GRANTIVS egregiae suae de contagiosorum morborum multiplici indole theoriae (*cf. §. XII.*) ita obliuiscitur, vt nulli, (docent aegrorum historiae tractatui de Angina maligna annexae) ne sub clarissimis quidem primarum viarum saburrae indiciis, plus quam vnum emeticum vnumve purgans diaphoreticis et antisepticis prae-

miserit, vel hisce rariora clysmata interposuerit vel denique purgantia et antiseptica alterna vice propinauerit?

§. XXIII.

Sed, ut recte intelligar, daturne vnquam angina putrida? nec vnquam Scarlatina putrida? Posse dari anginam putridam, nequaquam nego: si scilicet et peripneumoniae, pleuritides aliaeque putridae inflammationes dantur. Aequae tamen ac illae rara erit, aequae forte ac illae non nisi symptoma casu ad febrem putridam simplicem accedens, non magis ac illae scarlatina eruptione stipata, nec epidemico more faeuens. — Nec vnquam Scarlatinam mere putridam dari posse, negare animus est; sed et hanc rarissimam esse debere mihi persuasum habeo, quippe qui apud omnes illos observatores, quos in hocce libello elaborando perlegi, et sane haud pauci sunt, nullum exemplum reperierim vbi dicere licuisset: Scarlatina putrida est.

§. XXIV.

Cum itaque, ut ad propositum redeam, non solum sinister methodi antisepticae in hoc morbo effectus, sed etiam omnium eorum, quae putredinem accusant, phaenomenorum defectus, putridam morbi naturam, quantum mihi saltem videre contigit, plus quam dubiam reddant: videamus nunc quae nam sint verae, quas nobis offerat, indicationes? Probato iam Scarlatinam primas in nostro morbo habere partes, nil quidem impedit quo minus omnes hic, quae in quavis alia Scarlatina, adesse indicationes, morbumque saepissime (nam semper esse cum STOLLIO, TISSOTO et aliis contendere non ausim) gastricum esse, afferam: sed ne imprimis in hac disquisitione desim, phaenomena in ipsis istis, quas observatores descripserunt, epidemiis annotata, quid faciendum sit suppeditent.

§. XXV.

Nauseae, vomitiones, quin ipsi biliosi vomitus morbi iam primum insultum

stipant. Non ignoro quidem GRANTIUM et alios omnia haec a spasmo febrili vniuersali proficisci velle; non ignoro quoties in aliarum febrium primo insultu obuia sint; nec denique ea subinde ab ipsius oesophagi erosione posse originem ducere, nego: sed tanta eorum constantia vt semper adfuisse libere contendere possim; eorum haud rara per totum morbum perseuerantia; leuamen quod aegris afferunt, (quis enim a spastico vomitu leuamen sperabit?); signa quae sibi adfociant semper, praecordiorum nimirum oppressio, ventriculi angor, aluus ipsis FOTHERGILLIO et MONROO testibus biliosa demittens (*cf. §. XXI.*), vrina turbida quasi bile tincta (*cf. §. VI.*) et omnium primum lingua, veridica illa ventriculi intestinorumque index, in apice humida et albescens versus radicem autem crassa, lutea et castanei coloris saburra obiecta, cuius ad vnum omnes meminerunt, quam inter diagnostica morbi signa HUXHAMVS (*p. 108.*) refert; egregius denique in hoc morbo emeticorum effectus, quorum

rum vnicum saepe totum morbum abstulit, (LEVISON *l. c. p. 13.*) vel saltem semper ferox eius ingenium valde depressit, uti omnes affirmant: quis est cui de bilioso fomite primas vias praesertim autem ventriculum foedante non persuadeant? Hisce addas: morbum in illos menses incidere, illos annos prae aliis amare, qui bile vberissimi sint (§. XXI. B.), addas: multas *Londini* causas subesse quae bilem sufflent (*ibidem C.*): et mecum, spero, consenties putredinem absolvendam, bilem hostem esse quem oporteat aggredi.

§. XXVI.

Sed eandem hic bilis conditionem subesse, quae in quavis Scarlatina vel cuiusvis alius nominis biliosis in febribus, contendere nolo. Veto omnium symptomatum facua vehementia, veto velociore et periculosiore morbi decursu. Longe solito maior bilis acrimonia adest. Hinc anginae malignae affectus in ea solum Scarlatinae specie videmus, quam miliarium (haec

enim non semper vesiculae aër continentes, non semper meri proxime instantis inflammationis prodromi sunt; sed saepe eandem, quam genuina miliaria, aquosam, purulentam materiem continent, saepe iam initio febris scarlatinae propullulant) pravo satellitio utentem, *Scarlatinam miliarem* aut cum VOGELIO (*de cognos. et curand. morb. p. 112.*) *pustularem* nominare fas est, et quam ob maiorem omnium symptomatum molestiam, maiusque quod secum ducit periculum satis male audientem nouimus.

§. XXVII.

Sufficietne autem acris bilis omnibus illis malis producendis, unde tantae infamiae hucusque semper morbus fuit, unde tanta cum strage saeuivit, ubicunque extulit caput? Sufficiet sane. Vidimus iam (§. XXI. A.) omnia dirissima symptomata, quibus vnquam noster morbus apparuit stipatus, saepe saepius in aliis morbis, meracae bilis progenie, esse obseruata. Quid! quod ne his solum sed maioribus adeo Chamaeleon

leon hic versipellis par sit! Incipientem Opisthothonum, resolutionem muscutorum faciei ex vno latere, balbutiem etc. emetocatharsi sublatam, cito sublatam vidit STOLLIVS (*Rat. med. T. I. p. m. 33*)!

§. XXVIII.

Quaenam sunt itaque, quas offert morbus, indicationes? Quod ad febrem attinet, cuius longe maxima in huic morbo mendendo ratio habenda est, nullae sane agnoscendae sunt, quam: bilis acrem stimulum hebetandi; putridam eius corruptionem praecauendi; eamque quantocyus educendi.

Quam symptomata sibi curam pascant, inferius dicetur.

Iam itaque videamus quae, secundum has a febris natura desumptas indicationes, remedia perniciem minitentur, quae salutem promittant; bene memores istius:

“In febrium quarumlibet curatione omne punctum tulerit, *qua porta excludenda veniat materia febrilis*, qui certo norit.” (SYDENHAM. *Sect. VI. Cap. I.*).

§. XXIX.

§. XXIX.

Venaese etio.

Plurimi eius usum dissuadent vel arctissimis saltem limitibus circumscribunt. Sunt tamen nonnulli qui non solum opem inde sed totam fere curam expectant: huc pertinent: CHOMEL (*l. c. p. 73.*), ASTRUC (*CHOMEL l. c. p. 102.*), DUBOVRG (*ibidem p. 127.*), et ut videtur quoque RUSSEL (*oeconomy of nature etc. p. 112.*). Quid itaque de ea censendum? Febrem Scarlatinam raro quidem mere inflammatoriam saepe autem gastrico - inflammatoriam esse, notum est; sed rara haec in tenerioribus infantibus adultisque imbecillis complicatio. Ceterum Scarlatinae gastrico - inflammatoria species ea non est quae magnam faucium prae se ferat cladem. Nam inflammatorii quid semper bonam solidorum conditionem, bonam humorum crasin supponit, et his convenientibus vis vitae vegeta, etsi inflammationibus saepe obnoxia, iisdem non facile succumbit, plerumque benignam earum

earum resolutionem admittit. Debilibus autem solidis, vitiosis humoribus, leui sane irritamento opus est, vt inflammatio in suppurationem imo in ipsam gangraenam abeat. Illa itaque Scarlatinae species, in qua solidorum debilis et irritabilis humorumque praua conditio subest, in qua non phlogistica diathesis sed solus miasmatis bilisque stimulus phlogosin faucibus afflat, ea est, vbi post leue languidumque certamen omnia mox victori hosti et simul omnibus quae ille iubet vlceri atque gangraenae sese subiiciunt. Num in hac a Venaesectione quid boni sperandum? Minime sane. Omnium enim turbarum princeps auctor bilis est. Quid sanguinis missio (libenter STOLLII *Rat. med. T. II. p. m. 229.* verba repeto) in bilem potest stomachique pituitam? Pugio plumbeus in leonem, claua herculea excipiendum, emetocatharsi! Sed non solum omnem in se positam spem Venaesectio fallit, magnopere quoque nocebit. Plus enim (STOLLIVS *Rat. med. T. II. p. 87.*) nocet sanguis vbi

vbi non oportuit missus, quam non missus vbi oportuit. Elaterem fibrarum iam nimis remissum magis eneruat: vires, a quibus omnia in hoc morbo pendent, pessundat: erupturam Scarlatinam retinet, eruptam reuocat. Iam bilis quam sanguine fraenari veteres dixerunt, rescisso hoc fraenulo, efferri incipit atque repagula effringere, communem humorum oceanum adit neque emeticis neque purgantibus reuocanda, totoque in corpore dominium mox obtinet. Hinc morbus crescit, putredinem qua haecenus caruit, induit, et si vsquam malignitas, hic est. CHOMELIVM itaque ex octo aegrotis, quorum historiam narrat, perdidisse quinque, non miror; tres servasse quod mirer est: quippe qui in aegra tredecim annorum (p. 10. sqq.) intra tres dies octo Venaesectiones instituere haud dubitauerit, qui sanguinis massam idcirco diminuerit *“parceque la maladie augmentera à proportion qu’elle trouvera plus d’humeurs à corrompre”* (p. 73.) et vana hacce ratione fretus optimo sese contra morbum praesi-

praesidio spoliauerit. Similis, ni fallor, cauti ducis, qui optimam suarum copiarum in castris retinet partem, “quia eo cruentior pugna erit, quo plures se caedi obtulerint” et sic iam primo congressu campum cedere cogitur.

Nonne autem adultis, robustis, bono sanguine repletis, si forte et hi afficiantur, vena tundenda erit? Poterit, fateor, si grauius vrgent plethorae turbae, deglutitionis et respirationis difficultas: ast parca fiat neque iterante manu; aut, quod melius adhuc, topica sit. Sponte enim subsidet brevis aevi, saepe inanis tumultus. Imprimis autem caueas ne veram phlogosin iudices quam mentitur bilis; ne Venaesectione pulsum indures, qui subuerso ventriculo cum leuamine mollescet.

§. XXX.

P u r g a n t i a.

Haec rari semper in nostro morbo vsus fuere: et vix quemquam praeter DON.
MON-

MONRO (*l. c. p. 199.*) et hunc non nisi sub certis conditionibus ea commendasse lego. Et cum ex omnibus phaenomenis pateat, principem morboſi irritamenti in ventriculo ſedem eſſe, omniaque in eo vertantur vt proxima illud via educatur, parum ſane promittunt. Alius ſemper reſpondeat, ſed huic ſcopo ſufficient clyſmata. Ad internum purgantium uſum tunc demum confugiendum eſſe cenſeo, ſi in morbi progreſſu neglectaque emeſi altius iam deſcenderint ſordes: nec hic niſi mitiora permitterem. A fortioribus, vt quae iam nimis proſtratas vires magis adhuc infringant, eo magis abſtinendum, cum ob acrem bilis ſtimulum, non ſine luculento aegrotorum detrimento, iam ſponte ſoleant largiter fluere diarrhoeae.

§. XXXI.

D i a p h o r e t i c a.

Haec cum regimine diaphoretico coniuncta omnibus auctoribus ſemper, imprimis autem GRANTIO magni aeſtimata fuerunt.

fuerunt. Constat quidem omnia febrilia contagia in corpus delata, antequam suos exseruerint effectus, sudore posse expelli: et de Scarlatinoso pluries observauit EICHEL (*Acta Havn. Vol. II. p. 38. 2*). Sed si iam febris ardet, bilis iam secretio alterata est, num et hic diaphoresis conducet? GRANTIVS: quidem! immemor febris, immemor aestuantis bilis, semper (rariores casus excipias) diaphoreticis curam exorsus est, extortumque sudorem aluit donec expulsus crederet contagium: ego autem hanc methodum non posse proficere credo, nam si iam venenatum aculeum infixit contagium, iam suos effectus praestitit, nunc hi delendi sunt et in hos diaphoresis nil potest; imo nocere mihi persuasum habeo, ut quae febrem augeat (quod ipse expertus est GRANTIVS et adeo ut pluries post sudorem venaesectionem instituere coactus fuerit, *p. 614. 622.*); pellat in secundas vias primarum fordes et ita morbum hactenus maxima ex parte intestinis inclusum, et sanguini impertiat. Vbi-

cunque itaque diaphoresis totam curam absol-
visse imprimis GRANTIO (*p.* 596. 619. 638.
647.) scribitur, mere simplicem catarrha-
lem aemulantem febrem adfuisse pro certo
habeo. GRANTII imprimis in propinandis
diaphoreticis audaciam miror, ut qui aegro
(*p.* 616.) hoc morbo quem luculentissima
colicae biliosae signa stipabant, decumbenti,
vnum tantum dederit purgans, et quamvis
biliosae et magnopere alleuantes sedes an-
tigastricae methodi continuationem quam
maxime indicarent, illico ad diaphoretica
transierit: cum tamen alio loco (*p.* 370.)
hanc agendi normam vituperet eiusque no-
xias ostendat.

§. XXXII.

C a r d i a c a.

Haec, imprimis vinum, confect. cardi-
ac. Raleigh. pulv. Contraieru. et e chelis
cancrorum compositus, Camphora et Cro-
cus summum fere apud omnes auctores,
prae aliis autem apud FOTHERGILLIVM et
HUXHAMVM, in Antanginosa materia me-
dica

dica locum tenent, iisque et nutriendus adiungitur.

Duplex scopus est hisce remediis praefixus, alter prostratas vires excitandi, alter materiam morbi per sudorem atque exanthema eiiciendi.

Quod ad primum attinet, ex praegressis iam plus quam verisimile est debilitatem in hoc morbo fere nunquam a vera virium inopia sed ab acri in primis viis haesitante viresque deprimente stimulo pendere: eoque probabilius hoc, cum plerumque cum primo iam morbi insultu contingat; vera autem virium inopia in decursu demum morborum soleat subuenire. Liquet itaque quae hoc scopo a cardiacorum usu speranda sint. "Optimum hic cardiacum emeto - catharticum est; stimulantia nil emendant sed mirum quantum fictitiam hanc debilitatem augent". (STOLL *T. II. p. 181.*). Ita quoque nutrientium alimenterum in hoc morbo idem qui in tot aliis effectus erit: morbum nutriendus non aegrum.

Sed si quoque vires vere succumberent quod in progressu morbi saltem fieri potest, atamen, quales observatores praescribere, stimuli ob ipsam intestinis inhaerentem formam, non facile admittendi erunt, sed potius talibus, quae in primis viis vim nullam noxiam exferunt, ut sinapisinis etc., explendi sunt.

Quod ad secundum: de sudoris in incremento et statu morbi inutilitate imo noxiis, iam praecedens §. egit. Iam itaque videamus quid in exanthema cardiaca possint? Si huic nulla obstant impedimenta sibi plerumque sufficiet sui conservatrix natura: si obstant, haec obstacula remoue et cutis rubebit. Tunc variolas atque morbillos, quibus luxurians sanguis, abdominis sordes cutisue inperspirabilis rigiditas ostia claudit, vino et camphora extrudes? Venae sectione, Eructo-catharsi tepidoque balneo reclude, et calcaribus non indigebis. Ibi solum ubi absentibus aut iam remotis hisce obstaculis vera virium te deseruerit labes, vini, camphorae vel cuiusvis similis stimulus

lum subdere licebit. Nonne et hic eadem rerum conditio? Omnia quae cardiacorum tribus offert, sanguinis tumultum augebunt, bilis morositatem acuent, eoque difficilius incarceratus poterit solui.

§. XXXIII.

Antiseptica.

Horum Corticem peruuvianum et minerale acidum, ut quae omnibus obseruatoribus semper vſitatissima fuerint, recensuisse sufficiet. *Corticis* vſum prae aliis IOHNSTONE, D. MONRO et LEVISON magni fecerunt. Quantum detrimentum sit quod in initio morbi, ubi meraca bilis adest, afferre debeat, multis verbis ostendere opus haud foret, nisi audaciam horrerem, quacum inter alios imprimis GRANTIVS (p. 633. 636.) ut qui inter luculentissima sistematis gastrici prava materia inquinati signa, illico ad corticem confugere aut saltem corticem et euacuantia alterna vice adhibere non dubitauerit, eum propinasse legitur. Monendum itaque est, ut

fuerint, qui Corticem hic primas tenere arbitrentur, eum morbi causam non removere; bilem mobilem figere; eius euacuationem regia via impedire; vim vitae saburrae mole iamiam depressoam prorsus proflernere et ita (STOLLII verbis uti liceat) morbum in malignissimam malignitatem reducere. Febrem praeterea, febrifugae virtutis oblitus, auget, adeo ut DE HAËN (*Rat. med. contin. T. 1. cap. de Scarlat.*) cortici in Scarlatina specificam vim esse existimans, sanguinis turbas post eius usum Venaesectione debuerit sedare; sanguinis per abdominis viscera circuitum sistit, viscera obstruit etc. Nec si putridam iam corruptionem primarum viarum fordes induerunt, tutior eius atque salubrior usus erit: in primas enim vias nullam antisepticam vim exferit; putridam contra saburram, secundum sanioris medicinae leges quam primum educendam, retinet: unde incendium alimentis haud subductis, imo oleo lignisque affusis, quouis momento latius serpit et omnia in cineres vertit. Nec deni-

denique si iam humores corruptionem participarunt, cortici locum esse pro certo habeo. Quidquid de eo in hoc casu praedicauerint CLARCKIVS, LINDIVS, LETT-SOMIVS et alii: Nostratium neminem quam dubii nominis sit fugit. Quod in humoribus forte emendat (sed saepe in verae sanguineae putridae febris initio nondum convenit cortex) in alimentari canali perdit: hinc omnia mala humores hauserunt, hinc plura ulterius haurient. Longe itaque hic Cortici praeferenda erunt, quae sanguinis corruptioni consulunt, et simul eam quam primae viae includunt non augent: ut vegetabile acidum, Tamarindorum pulpa, Riuerii potio; et in magis urgente casu aut ubi vires nimis labefactae malum omen praebent, Valerianae et Serpentar. radices.

Quomodo explicabimus autem summas corticis apud omnes in hoc morbo laudes? Semper, respondeo, et tanquam princeps remedium cortex in usum vocatus est: si itaque euaserunt quos a primo

limite solummodo salutavit morbus; si eua-
ferunt viribus vitae tam vegetis vti vt,
aegre quidem, tam mitis morbi affectus
quam ipsam proditoriam artem perferre
potuerint; si denique euaserunt, quibus
diaphoreticorum vsus omnem morbi mate-
riam in secundas vias traduxerat, vbi de-
hiscens et iam ruiturum aedificium subinde
cortex sustentat, vnicum propemodum at
impar saepe fulcrum: tunc certe non po-
tuit, quin *cortex est!* clamaretur, quin
summis laudibus elatus benignus cortex fe-
rae posteritati commendaretur.

Idem fere de *minerali acido* valet.
Putridam quidem, si aliqua adest, sordium
corruptionem paululum corrigere id posse,
non nego: ne aequae autem ac cortex
portam, qua excludenda venit materia fe-
brilis, claudat, maxime vereor.

§. XXXIV.

Vidimus itaque non solum quocum
infelici successu hucusque recensita remedia
adhi-

adhibita sint: sed in causas inquisiuius quoque, ob quas cum infelici hoc successu ea adhibita fuisse oporteat. Iam itaque meum esse duco, vt, quae secundum meam a morbi natura et phaenomenis desumptam theoriam conueniant, subiungam.

§. XXXV.

E m e t i c a.

Lingua plerumque humida, nausea, vomituritio, vomitus ipsi biliosi vna cum praecordiorum oppressione et vehementi capitis dolore, ventriculum inprimis inquinatum et mobili quidem materia inquinatum esse, omni dubio subducunt. Optima itaque atque tutissima in initio saltem morbi, remedia emetica esse, quisque facile mecum iudicabit. Magna sunt quae ipsi obseruatores, etsi raro iisdem vti, etsi morbi naturam non suspicati de iis praedicauerunt. Saepe totum morbum vnica emesis abstulit, saepius eius decursum longe, quam alias solet tolerabiliorem reddidit.

Nescio vtrum contagium scarlatinofum specifico modo id sibi proprium habeat vt fere semper hepatis officinam turbet: an potius ab epidemiae constitutionis, in quam incidere, vel a corporum eorum, quos afficere adamat, certo quodam habitu, frequentissima haec Scarlatinae febris modificatio biliosa pendeat? Id scio, inter rarissimos fori medici casus Scarlatinam pertinere non biliosam. Optimi eius obseruatores vt WITHERINGIUS, TISSOTVS, STOLLIVS et alii eam semper (quod tamen, vti iam §. XXIV. monui iis concedere non ausim) biliosam esse, eam se semper fere et solis euacuantibus superasse, affirmant: et qui ad aliorum remediorum classem confugerunt, sinistro laborum successu. se errasse, luculentissime probarunt. Illa saltem Scarlatinae species quam Angina maligna comitatur, quam Scarlatinam miliaris nominare fas est, semper biliosa est; emeticis itaque et solis emeticis, si tempestiue arcessitus fuerit medicus, febrem suis in incunabulis enecabit, gangraenam a faucibus

cibus prohibebit et aegrum citra ambages in vado ponet.

Ipecacuanham antimonialibus semper praeferendam esse, non dubito, ut quae rarius diarrhoeis toties in hoc morbo molestis ansam praebeat, quae minus ac illa irritans cum minori tumultu euacuet, et, mobilibus satis fordibus fortius emeticum non requirentibus, efficacis emetici vicibus facile par sit.

Raro resoluentia emeticis praemittere opus erit: symptomatum impetus, fordiumque summae turgescientiae signa, mobilitatem educendae materiae tutissime plerumque testantur. Quod si autem vnquam contingat ut imprimis fordium linguae inhaerentium ficcitas resoluens praeludium postulet: summopere tibi ab omnibus caveas quae vilo modo putredini fauent, quae vilo modo aluum saepius quam fas est, mouent. Ad copiosos solos et mucilaginosos vegetabili acido acuatos potus ad spontaneum siue tenue tamarindinum lactis serum, ad Riverii potionem cum Sale

Sale ammoniaco confugere licebit, ut quae faburram ad euacuationem quae proxime subsequi debet, potenter praeparent, simulque ei forte instantem putridam corruptionem optime praecaueant.

Si autem primus morbi ingressus fuerit neglectus, iam maior bilis acritas ventriculum cardialgico more torqueat, tympanitico efferat ventrem, pulsus parvus et spastice durus, cutis sicca rigiditas, forte et extremorum frigus etc. vniuersalem prodant spasmus; tunc aliam praeparationem sibi emesis poscit. Hic (vti pulchre STOLLIVS *Rat. med. T. II. pag. 107.* suadet) irruenti hosti cedendum paulisper est et amplianda spatia ne intra angustias conclusus sibi ipsimet exitum praecludat. Hebetandus itaque hic acris bilis stimulus est, et minuenda solidorum in eum reactio. *Primo* conuenient iam supra memorati largi, mucilaginosi, obuoluentes multo vegetabili acido impraegnati potus, Riuerii portio effervescentiae tempore ingesta, et Ipecacuanha refracta dosi exhibita. Quod ad
secun-

secundum, nullum fane remedium noui ad quod facilius et cum maiore laeti successus spe confugerem, quam balnea vel fenuipia tepida: et his abdominis oleosas, camphoratas inunctiones, cataplasmata et fomentationes emollientes, clysmata denique obuoluentia et emollientia subiungerem. Sedata, quantum poterit, his similibusue remediis enormi contentorum et continentium mutua actione et reactione, emesis cito et tuto morbificum fomitem extrudet.

§. XXXVI.

Sedne ullus purgantium in hoc morbo usus erit? Si, neglecta in morbi principio male emesi, iam versus anum descenderint fordes, nil fane superest, quam ea, quam iam ingressae sunt, via, eas deducere. Sed rarior longe purgantium quam emeticorum exoptatus effectus. Tardius euacuant, diutius itaque fordes corruptionis periculo exponunt, et, quod omnium pessimum saepe hypercatharsi magnopere debilitant. Parca itaque et cauta exhibeantur manu. Quantum

tum fieri potest, clysmatibus fiat: sed si, his deficientibus, ad interna confugiendum est, nulla facile praeter tartarifatum vel tamarindinatum lactis ferum, cremorem tartari cum Magnesia commixtum et denique Rheum cum aliquot calomellis granis, ut quod blande sine noxio irritamento faeculentas sedes ducat, Scarlatinae eruptionem non praepediat, neque putredini ut quis putare possit (quippe mox e corpore re-dux) faueat, permittenda erunt. In principio rite tractati morbi, rarissime purgandi indicatio aderit.

§. XXXVII.

Hisce remediis febris si fuerit tempestive excepta, omnia illa mala, unde tam male noster morbus audit, saepissime auersum, rarissime febris gastrico-putridam complicationem, nunquam veram sanguineam putridam febrem obseruatum iri, pro certo habeo,

Quod si autem neglecta fuerint omnia et insuper ineptum regimen ineptae remedia adhibita: tunc certe hic, aequae ac
in

in quavis alia gastrica febre, putredo biliosas fordes corrumpere potest. Magna virium spirituumque deiection, magis vrens calor, magis vrgens fitis, vehementior capitis dolor, lingua ficcior atrescens, os amaro - putridum, frequentia deliria, frequens meteorismus, peruvigilium denique constans, facile hanc fordium putredinem produnt. Iam magnum periculum adest. Diutius haerens fomes putrescens intestinis gangraenosam inflammationem, sanguini inquinamenta minatur. Si itaque vspiam medici est festinare, hic est. Illico itaque malae huius fordium corruptionis, si quae adfunt, causae remoueantur: ex cubiculo angusto, profundo, in spatiosius altius situm, ex aëre impuro calido in purum, frigidiorremque (quantum scilicet ob exanthema tuto fieri potest) transeat aeger; lectum densum et mollem leni et tenui cum stragulo commutet; apto vtatur mere vegetabili victu, multo acidiusculo potu. Eodem quoque momento omnia quae ad putridam vitiosae colluiei corruptionem corri-

rigendam materia medica offert, in vsum vocentur: largus acidorum vegetabilium, Potionis Riuerii cum sale ammoniaco, imprimis autem aëris fixi et similium vsus fit: et sic quodammodo infesta materia ad euacuationem praeparata, proxime subsequatur emeto-catharsis. Magis hic adhuc emetica purgantibus, quam in mere biliosa faburrae conditione, erunt praeferenda: cautior adhuc hic in administrandis purgantibus sis; hic enim vires minime debilitantes causas aegerrime solent ferre: nullius fere Salis, nullius fere praeter Rheum, Calomel, Magnesiam cum tartari cremore, cathartici, et horum quoque nonnisi parvus et cautus vsus fit.

Sedne sanguini quoque prospiciendum? Nondum sanguis laborat: putredo primas solum foedat vias. Magis itaque ad praecauendam quam ad corrigendam vitalis laticis corruptionem, largus atque perpetuus feri lactis tamarindinati, lactis ebutyrati, aquae aëre fixo impregnatae, decocti pomorum Borsdorffiensium atque similia

lium vñus fit. Quo citior, cautior et pertinacior primarum viarum euacuatio erit, eo minus humores corruptionem participabunt, eo facilius, quae iam sanguinem intrarunt, inquinamenta in intestinorum canalem redibunt, vel naturae viribus domita alia via eiicientur, aut etiam tuto antiseptico apparatu corrigi poterunt.

Quousque autem praua colluies primas vias inundat, eo vsque ab antisepticorum proprie sic dictorum, Corticis inprimis et mineralis acidi, vsu prorsus abstinendum est, quippe quae saburram, citissime euacuandam retineant, figant, et ita perpetuum largumque fontem alant, vnde semper noua inquinamenta auide ingurgitet sanguis. Et si summus quoque virium inter euacuandum superueniat languor, tamen Corticem acidumque minerale abhorreas eorumque locum Valerianae et Serpentariae radicibus, sinapis et similibus quae vires potenter excitent, malamque in primas vias vim non exferant, bene expleas.

Hac sub medela iniquum et dubium sane flatum, sine maioribus succedentibus malis, sine maiore humorum labe, saepissime posse perferri, nullus dubito.

Quodsi autem perfecte purgato gastrico, systemate sublime abdomen subsederit, nil amplius emetica educant, nil amplius alui ductio emendet, clysmatibus non respondeatur; et tamen linguae color atrescens in atrum abierit, mentis turbae, somni inopia etc. continuent, tunc soli humores rei sunt, tunc ipsorum antisepticorum pro virium vitalium vario habitu, aut refrigerantium, ut tenuis mineralis acidi, et aluminis aut calefacientium, ut corticis, camphorae, vini etc. usus tuto succedere poterit.

Quam rarissimam autem nostrae febris, rite enim tractatae, in sanguineam putridam transitum fore, repetere vix fas est.

§. XXXVIII.

Diremto iam, quo modo dixi, malo confortio, eiectione quam sociabile morbi ingenium sibi adsciuit, hic sponte ad frugem
redit,

redit, cum Scarlatina simplici iam nobis res est. Quid itaque nunc? Scarlatina simplex ut variolae ut morbilli benignissimum quid est, cito decurrit, periculo caret, solius naturae viribus obaudiens, ne noceatur, tantum requirit. Nisi itaque hanc nostram prauum confortium, popolare temporis vitium, antea a miti suo ingenio detortam, efferatam reddidisset et exlegem, impune fane, ut olim SYDENHAMVS, omnem opem in eo ponere possemus ut, ne inepta diaeta ineptoque regimine salutaria naturae conamina turbentur, prohibeamus. Hic autem pluribus opus est. Perniciosi, quos intus egit moleste hospitans morbus, cuniculi vim vitae nimium fregere. Non sibi ad incitas redacta natura sufficit ut perfecta crisi morbi reliquias, mites licet, eliminat. Excitanda itaque est, eique, quam ingredi debet, praesternenda via. Simulac itaque perfecte purgatae sunt primae viae, ad neruina, tonica, ventriculo amica, ut corroboretur laxa corporis compages: ad leniter diaphoretica, ut crisis quae semper fere per sudorem fit adiuuetur, est transeundum. Iam

vini stimulus prodest, iam profunt extracta amara (ea imprimis quae versus cutem leniter humores inclinant) cum ipsis diaphoreticis nupta: Trifolii itaque fibrini, Centaurei minoris aut Cardui benedicti in spiritu Mindereri soluta aut cum Roob Sambuci vel simili quo commixta. Hisce remediis, modo praegressa sit quae decet praeparatio, rarissime propositum non assequemur.

§. XXXIX.

Haec sunt quae primam et longe grauissimam curae partem absoluunt, quae scilicet malam febris complicationem remouent, simplicisque iudicationem adiuuant.

Iam autem diro hydropi obuiam eundum, qui tam mitissimam, quam periculossimam illam, pro Angina maligna hucusque venditam, speciem Scarlatinae, (MARTEAV *l. c. p. 24.* LEVISON *p. 9.* HUXHAM *p. 107*) saepissime excipere solet, et qui post hanc eo magis timendus erit, quo minus vires prostratae arti succurrent. Omnia itaque in eo, ut praecaueatur, sunt. Et hoc scopo, quo longius in corrigendis et

euacuandis primarum viarum fordibus progressi sumus, eo magis calidius regimen admittere, eo tutius talia leniter diaphoretica remedia quae saluis euacuationibus adhiberi queunt, vt Roob Sambuci, Sal ammoniacum, imprimis autem antimonialia euacuantibus interponere aut commiscere et denique desquammationis tempore tanquam summum remedium balneum tepidum administrare poterimus.

§. XL.

Descripta nunc febris vt cuius longe maxima in hoc morbo ratio habenda est, quae conuenire videtur, medela: iam ad eius symptomata, maxime plerumque vrgentia, adeo vt vnum eorum pro ipso morbo haberi potuerit, transeo. Iam quidem innui, morbi si principio rite fuerit obuiatum, maximam illam symptomatum faeuitatem rarissime aut nunquam fortasse obseruatum iri; cum autem raro medico contingat principiis posse obstare, ideoque et raro mala haec rerum facies prorsus prohiberi possit, de summo quoque eorum gradu agendum est.

§. XLI.

Symptomata anginosa.

Haec merito principis morbi satellitiū agmen ducunt. Vniuersalis semper iniectionum gargarismatum, collutoriorum et linimentorum ex irritantibus et antisepticis conflatorum, tam ad saniei effluxum promouendum, quam ad vlcera purificanda et consolidanda et gangraenae progressum coërcendum, vsus fuit. Sed non eadem in quouis morbi stadio adhibenda erunt. Quousque enim inflammatio durat, aut bona fatis et superficialis tantum exulceratio adest, optime mere emollientia anodina, vt Cicutae, Hyosciami, Maluae et Althaeae decocta cum lacte conuenient. Simulac autem malam speciem prae se ferunt vlcera, crustaque gangraenosa obducuntur, ad omnia illa quae obseruatores laudarunt antiseptica irritantia, vt infusum Salviae cum vini aceto, decoctum corticis peruuiiani et florum rosarum rubrarum cum oxymelle, Myrrha, acido Vitrioli et Salis etc. tuto confugiendum erit. Camphoram immiscere imprimis CHOMELIVS suadet.

suadet. Multa quoque balnea vaporis quae HUXHAMVS imprimis ex floribus rosarum rubrarum et Chainomillae, Myrrha et Camphora in aceto vini coctis, inspirari vult, proficient. Simul et crustas crassiores (quarum scarificationem et abrosionem iam observatores dissuaserunt) solutione Myrrhae in oxymelle aut tinctura Myrrhae cum acido salis illinere et sic earum separationem promouere, postea autem partes sauciatas, integumentis denudatas et summe sensibiles sirupo diacodion aut simili quo detergere oportebit. Reliquum quod faucium labes postulat, est vt quantum fieri potest saniei corrosivae deglutitio praepediatur et ita omnia illa mala praecaueantur, quae hinc toties consecuta legimus.

Infantibus tenerioribus, vt qui ingesta facile et non sine maximo damno deglutire possent, difficillime administrandae erunt iniectiones: his itaque vlcera colluere crustasque illinere praestabit.

Externe durante inflammatorio stadio cataplasmata emollientia, linimentum volatile,

forte et ipsae hirudines applicentur, deinde autem sinapifini vel si reliqua permittant, iam HUXHAMO auctore, vesicatoria toti collo circumdantur.

§. XLII.

Haemorrhagiae narium.

In has Venaesectiones nil posse, (quod optime CHOMELIVS *p. 10. sq.* probat, qui eas post ipsam octauam sanguinis missionem perseverare vidit) nec quid antiseptica posse, (quod omnes auctores probant hisce tam largiter vti) tutissime testatur, eas, si post primum febris insultum continuent, aut a plethora capitis topica ob tumorem colli venas comprimant, aut ab irritamento circa praecordia pendere. Optima hic itaque styptica erunt quae pro causae varietate aut colli tumorem discutiendo et circa collum sanguinem mittendo capitis plethoram minuunt, aut biliosi stimuli actionem solidorumque in eum reactionem, praeter alia iam §. XXXV. memorata remedia, imprimis cucurbitarum fliccarum circa umbilicum applicatione debilitant. Et his capitis frigidius regimen situsque elatior optime poterunt adiungi.

§. XLIII.

§. XLIII.

Meteorismus, vomitus enormis et diarrhoea.

Haecce tria eandem fere semper causam agnoscunt, bilis, puta, acriorem stimulum et viuidam solidorum in eum reactionem. Corrigentibus itaque ac relaxantibus iam pluries memoratis, imprimis autem pravae irritantis materiei euacuationi optime cedent. Absint itaque Cortex et confectio cardiaca cum aëre fixo, quibus IOHNSTONE (*l. c. p. 413.*) rebellem ventriculum fraenare voluit: Absint Confectio Fracastorei, electuarium e Scordio, decoctum ligni Campech. Rhabarbarum tostum, nux moschata etc. quibus FOTHERGILLIUS (*p. 305.*) et alii aluum componere iusserunt. Diarrhoea si modica est, si cocta educit et alleuat, non turbetur: si minus, ei emulsione arabica moderari sufficiet.

Si autem ab acri deglutitae saniei stimulo indeque consecuta oesophagi, ventriculi et intestinorum erosione, tam vomitus quam alui fluxus pendeant, ne in demulcentibus solis ut sirupo diacodion et oleo amygdalarum vnica et dubia spes sit, valde vereor.

§. XLIV.

Affectus nervosi.

Deliria, coma, spasmi et convulsiones varii generis, tendinum subsultus, singultus, stranguria et similia a maiore nostri morbi gradu fere sunt inseparabilia. Optime STOLLIVS (*Rat. med. T. II. p. 70.*) ait: “nerui amicabile quid sunt et minime seditiosum nisi auctorem turbarum habeant in quem omni studio inquirere necesse est, quemue nos intra gastricum systema conclusum saepissime deprehendimus: eo inde deturbato, seditio filet”. Auctorem turbarum et hic bilem esse, et emeto-catharsin turbas breui sedaturam esse, repetere nefas foret. Sufficiat itaque quasiuisse: anne, si seditionis auctorem illico posse subducere non contingeret, eius effectus quibusdam quae nervis opitulantur et simul inimicum stimulum non acuunt, ut radice Valerianae, acido quodam minerali dulci, fortasse et Moscho, mitigare liceat; et vtrum, si caput imprimis afficeretur, cum SYDENHAMO (*Secl. VI. cap. 2.*) vesicatorium nuchae applicare praestet, an potius capitis plethoram quam colli glandularum intumes-

tumefcentia mouit, topicis circa collum sanguinis euacuationibus minuere?

Haec sunt, quae morbi decursum imprimis terribilem reddunt. Iam itaque ad tristes eius reliquias transeo: et harum gravissima et periculosissima est

§. XLV.

Leucophlegmatia.

Frequenter morbo superuenit, adeo ut PLENCICIUS eam tanquam secundum morbi stadium considerarit: grauiter instat adeo ut plurimi obseruatores prauum hunc morbi pedissequum magis quam ipsum morbum timerint. Quam causam agnoscat, quos prodromos mittat, nota sunt. Pauca itaque solum de eius medela addenda sunt. MARTEAU (*p. 109.*) et LEVISON (*pag. 15.*) soli sunt, qui de ea (nostram scilicet Scarlatinae speciem excipiente) sermonem iniecerunt. Ille squillitica imprimis et cremorem tartari: hic calomel et Rheum cum largo corticis peruuiiani usu coniuncta adhiberi iubet. Nonne his bene quae suppressam transpirationem, ut mali causam, resti

restituunt, praemitterentur? Optime sane frictiones siccas, balneum tepidum si modum nondum excedat tumor, et imprimis emeticum antimoniale ut quod non solum gastricum irritamentum denuo in ventriculum fortasse depositum euacuet, sed quoque omnes excretiones expediat et salutari totius corporis concussione resorptionem inundantium humorum valde adiuuet, conducere credo. Caeterum morbum potius diaphoreticis et diureticis, quibuscum, simulac maxima humorum pars euacuata fuerit, bene cortex peruvianus, amara et martialia coniungi poterunt, quam purgantibus, quippe quae causam morbi non tollant quin augeant, viresque deiectas, saltem si diutius continuata fuerint, prorsus prosternant, impugnandum esse persuasus sum.

§. XLVI.

Glandularum tumor et exulceratio.

Hic tumor ab irritamento miasmatis specifico et inflammationis, non autem cum IOHNSTONIO a resorpta et haesitante mala sanie deriuandus est; cum in leuissima quavis Scarlatina, ubi ne vestigium quidem exulcer-

cera-

cerationis deprehenditur, semper adfit, et semper fere cum reliquo morbo dispareat. Plerumque itaque nullam sui curam poscit: si autem post reliquum morbum remanet et scirrhum exhibet, tunc naturae eius resolutionem molienti succurrendum est; et hoc Hvx-HAMVS imprimis inunctione vnguenti mercurialis et interno calomellis usu fieri vult.

Parotides interdum suppurant, non critice, vt nonnulli crediderunt. Attamen semper, quibus pro rerum varietate videbitur, aut emollientibus aut stimulantibus maturanda suppuratio erit.

§. XLVII.

Saepe quoque auditus aliorumque tam externorum quam internorum sensuum hebetudo, artus quasi a rheumate vel arthritide dolentes, et denique hectici quid morbo supersunt. Priora bina, vt omnes obseruatores innuunt, soli debilitati tribuenda sunt et suapte sensim abeunt simulac amissas vires laxum corpus recuperauerit. Affectus hectici duplicis originis sunt: pendent aut a debilitate et acrimonia Scarlatinosa superstita, aut a gra-

grauiori quadam pulmonum siue intestino-
rum clade. Si prius, et hic remedia nutrien-
tia, laxam corporis compagem corroboran-
tia et omnes secretiones leniter adiuuantia
breui salutem pollicentur: si posterius, for-
tasse nunquam curationis et rarissime diutur-
nioris solaminis capaces sunt, eandemque,
quae ab aliis causis oriundi phthifici morbi,
opem postulant, quare me non diutius mo-
rantor.

§. XLVIII.

Haec sunt quae de Anginae sic dictae
malignae mihi probabili aetiologia, eique
conueniente medendi methodo, proponere
volui. Me cuique, qui haec legerit, de
mea theoria persuasisse, sperare nimium fo-
ret: sufficiet in rem tanti momenti modo fe-
cisse attentum. Si quis a symptomate prae-
ipso morbo eminente, nomen morbi serua-
re malit, mea causa licet; sed ne indicatio-
nes inde arripiat, opto. Nominet morbum
Anginam scarlatinofam aut Scarlatinam an-
ginofam, modo obliuiscatur praecepti illius
obseruatorum, vtriusque morbi (vel nominis
poti-

potius) medelam toto debere coelo differre, modo agat quae natura et non quae nomen morbi postulat. Si fecus, quantum ego video, omnibus suis aegrotis bene consulent qui cum BICKERO et WITHERINGIO Scarlatinam vident: male illi, qui cum FOTHERGILLIO et GRANTIO malignitatem, putredinem clamant et corticem recipere iubent. Simulac autem quisquam mihi inter vtrumque morbum veram naturae diuersitatem fuisse probauerit; simulac vtrumque falli nescia fide me distinguere docuerit; grato animo ad victas dandas manus paratus ero.

T H E S E S.

- I. Angina maligna est Symptoma Scarlatinae.
 - II. Placet theoria Todii de veneni venerei et gonorrhoeici varia natura.
 - III. Causa gangraenae proxima est vis vitae emortua; nullas itaque eius remotas causas, praeter quae vim vitae enecant, agnosco.
 - IV. Icteri causa modo non semper in ductu cystico haeret.
 - V. Hernia sic dicta humoralis utique interdum veneni gonorrhoeici metastasin causam agnoscere videtur.
 - VI. Praeparatio mercurialis instantibus variolis non semper proficit, quin saepe nocet.
 - VII. Febres gastrico - putridae usum verorum antisepticorum nunquam admittunt.
 - VIII. Mercurius venenum venereum neutralisatione chemica destruere videtur.
 - IX. Putredo humorum causa febrium putridarum proxima non est.
 - X. Omnia profluvia mucosa eiusdem morbi quasi variae species sunt, et optime sub Leucorrhoearum nomine venire possent.
 - XI. A purgantibus fortioribus in dysenteria prorsus abstinendum.
-

UNITED

STATES

OF AMERICA

THE

LIBRARY

OF CONGRESS

AT WASHINGTON

IN THE CITY OF WASHINGTON

DECEMBER 1877

RECEIVED

OF THE

LIBRARY

OF CONGRESS

AT WASHINGTON

IN THE CITY OF WASHINGTON

DECEMBER 1877

